Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 343
Quelle:
Copyright:

CCXXVIII.

U. 200 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 327. 4. currente calamo exaratus, et rubricis distinctus sequentia continet: I. *Hic compendiose omnes hystorie que continentur per ordinem in libro qui appellatur humane saluacionis speculum annotantur. Prologus.*

Hoc humane speculum est saluacionis
In quo fit indicium recreacionis.
Nam creator omnium post morsum draconis
Fit saluator hominum vi redemcionis. &c.

Non igitur *Speculum* ipsum, de quo egi Codice proxime antecedenti, sed quoddam ejus hic habetur Compendium, quod τετρασιχοις XLII. Historiam N. T. figuris V. T. adumbratam percurrit. En ultimi Specimen:

Christus cum sanctis letatur dans eterna gaudia.
Sabba regina miratur salomonis gloria.
Rex asuerus conuiuatur magna cum leticia.
Sic Job nati jocundantur simul per conuiuia.

II. *fol.* 5. succedit Descriptio habitus VII. Vitiorum Capitalium et totidem Virtutum illis obpositarum. Ita: *In campo mundi superbia venit super equum cecum* &c. *Contra superbiam venit humilitas ambulans per pedes* &c. Sic porro singularum vehicula, ornatus capitis, tunica, arma enumerantur, id, quod Picturas illas respicere videtur, de quibus *Vol. praecedad Udalrici Abb. Campilil. Concordantiam Caritatis* dictum est.

III. *fol.* 7. p. 2. Versus quidam alterni quorundam sibi obpositorum, puta Virtutum et Vitiorum, Divitis et Pauperis, Juvenis et Senis v. g.

Luxuriosus: Carnis alo luxum, Veneris quia diligo fluxum.
Castus: Dum viuo castus, carnales contero fastus &c.

IV. *fol.* 9. Materia homiletica pro Dictionibus tam de Tempore, quam de Festis per anni circulum, incipiendo hinc a S. *Andrea* Apost. inde a Dom. I. *Adventus*. Singulis Thematibus manus diversa memorialem adscripsit versum. Inter Festa jam illud *de Corona spinea* reperitur. In *Germania* haec collecta fuisse, suadent DD. *Udalricus, Florianus, Colomannus, Afra,* item inspersa verba patria *Pfrill* piscis, *Schwalb* hirundo &c.

V. *fol.* 192. *Loca terre sancte.* Fallit inscriptio; est enim, quod sequitur, succincta potius Narratio fatorum *Palaestinae* ab *Heraclio* Imp. usque ad an. 1187. et Vitae *Mo-*